ſecucionem patiuntur propter iuſticiam.

Plurimorum martyrum

Ad vſ. Capitulum.

Scimus quoniam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum hijs qui ſecundum propoſitum uocati ſunt ſancti. ℟. Iſti ſunt ſancti qui pro teſtamento dei ſua corpora tradiderunt Et in ſanguine agni lauerunt ſtolas ſuas ℣ Tradiderunt corpora ſua propter deum ad ſupplicia et meruerunt habere coronas perpetuas. Et Gloria patri. Et tunc. Ymnus

Sanctorum meritis inclita gaudia pangamus ſocij geſtaque fortia: nam gliſcit animus promere cantibus: uictorum genus optimum. Hij ſunt quos retinens mundus inhorruit: ipſum nam ſterili flore peraridum ſpreuere penitus teque ſecuti ſunt: rex chriſte bone celitus. Hij pro te furias atque ferocia calcarunt hominum ſeuaque uerbera: ceſſit hijs lacerans fortiter ungula: nec carpſit penetralia. Ceduntur gladijs more bidentium non murmur reſonat non querimonia: ſed corde tacito mens bene conſcia conſeruat patientiam. Que uox que poterit lingua retexere que tu martiribus munera preparas: rubri nam fluido ſanguine laureis ditantur bene fulgidis. Te ſumma deitas unaque poſcimus ut culpas abluas noxia ſubtrahas des pacem famulis nos quoque gloriam.